

Mirandula abduceret. Caesar salutem turpi fuga quaerere coactus Villacum se recepit. Pax inter Caesarem, & Saxoniae Ducem facta. Salernitanus Princeps, aliique Gallicarum partium homines neapolitani regni invadendi consilia iniere. Senenses, Gallis intra urbem receptis, Hispanos eiecere, arcem solo aequavere. Dragutes, turcicae classi praefectus, septem Auriae triremes cepit. In Dacia Turcae Temisvario potiti sunt, Sfortiae Pallavicini copias fudere, ducem in captivitatem traxere. In Etruria ob Senensium motus bellum exortum. Dragutes Gallis conjunctus Corsicam aggressus, universam fere insulam in Gallorum potestatem redegit. Suleimanus domum, Mustaphae filii ob novercae artes sibi suspecti nece, funestavit. Venetiis Franciscus Donatus Princeps extinctus est: in demortui locum Marcus-Antonius Trivisanus subrogatus. Cosmus, Florentiae Dux, Caesaris partes amplexus Senas obsedit. Veneti apud Suleimanum de Dragutis insolentia conquesti. Maria, ad Angliae regnum e-vecta, Philippo Hispaniae Regi nupsit: rem catholicam in Anglia restituit. Altero principatus anno Marcus-Antonius Trivisanus Venetiis obiit: in ejus locum successit Franciscus Venerius. Senarum urbs per deditionem in Caesaris potestatem venit. Romae continuis pene funeribus Julius III. &, qui illi successerat, Marcellus II. Pontifices elati. Paullus IV. Pontifex renunciatus. Turcica classis gallicae juncta frustra Calvium oppidum in Corsica tentavit. Venetorum cum Hierosolymitanis Equitibus jurgia, Pontificis auctoritate, ex Venetorum sententia, composita. Paulus IV. adversus Caesarem foedus cum Gallis percussit. Carolus V. Belgium primum, mox reliqua regna & provincias abdicavit, Philippoque filio tradidit. Cameraci inter Caesarem, Philippum filium, & Henricum Galliae Regem induciae in quinquennium pactae. Pontifex Columnenses Ecclesiae hostes declaratos honoribus, oppidisque, quae beneficiario jure obtinebant, multavit: Palianum nepoti tradidit. Albanus Neapolis Prorex in pontificias ditones invasit: Ostia capta, magnum terrorem Romae incussit. Venetiis, Francisco Venerio Principe vita functo, Laurentio Priolo suprema dignitas delata est. Variante fortuna in Italia bellum inter Pontificem, & Hispanos gestum est. Sancti Quintini oppidum insigni Gallorum clade nobilitatum: idem vicatum, & direptum. Pax inter Pontificem, & Hispanos per Venetos conciliata est.